



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Vndè sit remissio peccatorum, & quis remittat peccata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

justificationis transfertur in Christum, propter quæ gratis accipimus credentes.

## CAPVT XXXXI.

## ARGVMENTA.

1. Undè sit remissio peccatorum, & quis remittat peccata.
2. Quomodo sit intelligendum, quando dicitur, sacramenta, opera, oratio, ieiunium, eleemosyna, charitas &c. remittunt peccatum.
3. Quàm diu duret remissio peccatorum.

**H**oc caput est doctrinæ Christianæ, quod solus Deus remittat peccata, & donet vitam æternam: hæc duo à solo Deo veniunt & pendent Esai. 45. Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter meipsum, & peccatorum tuorum non recordabor. & Dauid Psalm. 129. Si iniquitates observaeris Domine, Domine quis sustinebit? Iob. 14. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? solus ergo Deus remittit peccata: & quoniam Christus Deus est, ergo & ipse agnus Dei dicitur, qui tollit peccata mundi, Ioan. primo: & ipse, quia Deus, donat vitam æternam omnibus suis, Ioan. decimo. Ministri etiam Ecclesiæ remittunt peccata non propria authoritate, sed Dei & Christi, qui commisit hanc potestatem & claves illis, Ioan. 20. inquit: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Remissio ergo peccatorum & donatio vitæ æternæ, à solo Deo est, ex misericordia propter fidem in Christum, gratis nobis exhibentur propter bonitatē Dei, ex quo sequitur, quod nullum opus vel sacramentum sua propria & naturali virtute remittat peccata, nec ieiunium, nec eleemosyna, nec campanæ, nec oratio. Nullum opus aut virtus

L

tus

Esa. 42. &  
48.

tus hominis est, quæ possit remittere peccatum, & dare vitam æternam, saluare & iustificare, sed solus Deus reseruat sibi hanc gloriam, de qua ait: Gloriam meam non dabo alteri, illius est saluare & iustificare. Solum igitur Christi meritum & mors pœnalissima, hoc vnicum opus propitiatorium, semel ista meruit. Est igitur remissio peccatorum & vita æterna à solo Deo.

Luce 7.

Quæritur, si remissio peccatorum & vita æterna est à solo Deo & merito Christi, & nobis gratis distribuitur ex misericordia propter Christum: cur ergo scriptura tribuit operibus illa duo, remissionem scilicet & vitam? Dan. 4. Peccata tua elemosynis redime. Et Tob. 4. Elemosyna ab omni peccato & à morte liberat. Et Christus in Euangelio Luce 7. Date elemosynam, & ecce omnia munda vobis erunt. Item Matthei 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: & Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. & Ioan. 5. Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: &c. Et Paulus Roman. 7. Gloria & honor & pax omni operanti bonum. Galat. quinto. Qui seminat in Spiritu, de Spiritu metuet vitam æternam, &c. Hæ & consimiles autoritates scripturæ sic sonare videntur, quod & ipsa opera à nobis sic operata, sua virtute & dignitate nobis impetrent remissionem peccatorum & vitam æternam. Respōdeo: Vulgus malè intelligit sic scripturam: nam hoc esset detrahere Deo suam gloriam & honorem, qui dicit propter seipsum remittere peccata, Esa. 42. Hoc est derogare Christo, quia aliàs gratis venisset & passus fuisset, Galat. 2. si nos operibus & virtutibus nostris operatis possimus mereri vitam æternam & remissionem peccatorum. Idèd sic intelligendæ sunt scripturæ autoritates, quod DEVS per hæc merita distribuit ista sua & Christi beneficia, non sic propter